monte est vallis grandis et profunda, quae vocatur Galmoab, 0741
in qua Dominus mortuum Moysen sepelivit, et sepulchrum
ejus nemo unquam invenire potuit, ut habetur Deut. ultimo. 0739
Dicunt quidam, quod Moyses in vertice Phasca existens et
terram sanctam cernens vidit omnia mysteria sacramentorum 0745
Christi, incarnationem, nativitatem, vitam, passionem et mortem
Christi, et in hac dulcissima contemplatione mortuus fuit in 0735
monte, et Dominus sepelivit eum, in valle ipsum abscondens,
ne populus ad idololatriam pronus, si ejus corpus invenisset, 0750
sibi divinum honorem impenderet. Ideo diabolus, idololatriam
inducere volens, conabatur ostendere corpus Moysis, contra 0730
quem Michael altercatus prohibens hoc fieri, ut habetur in
canonica Judae. Jeronymus tamen, super Amos, videtur velle, 0790
quod Moyses ad instar Enoch et Heliae divinitus in coelus
raptus sit. Sic enim dicit: aedificat ascensionem suam, ascen- 0690
dit cum Helia, ascendit cum Moyse, cujus sepulturae locus,
quia in coelum ascenderat, inveniri non potuit. In valle ista, in 0840
quam Dominus dicitur sepelivisse Moysen, abscondit Jeremias
ignem sanctum, arcam Domini et altare holocaustorum et ta- 0640
bernaculum, ut habetur 2. Maccab. 2.

(244 A) Hanc vallem sanctam Galmoab vidimus a longe
ultra mare mortuum, et verticem eminentem Phasca montis Aby- 0240
rim. In hoc vertice est respectus usque ad terram Madian, et in
eo videtur mons Synai et Oreb. Vidimus etiam campestria
Moab, et super ea montem, in quo Balaam propheta, con- Ende
ductus a rege Moab, qui dicitur Agrispecula, ut dicit Jero- Anfang
nymus de distantiis locorum, ut malediceret populo Israel, sta-
bat, populo in campestribus habitanti benedicebat, ut habetur
Num. 23. Consequenter visum ab oriente detraximus contra
austrum, longe deorsum trans mare mortuum, ubi vidimus
Petrae deserti regionem, ipsam autem Petram deserti videre
non poteramus. Fuit autem Petra deserti ab antiquo castrum
fortissimum in terra Moab, de quo fuit nata Ruth, Moabitis
illa virtuosa, de qua dicitur Ruth 3.: scit omnis populus, qui
habitat intra portas urbis, mulierem te esse virtutis. Haec
Ruth fuit uxor Boas, de qua nasciturus erat Christus per ge-
nealogiae continuationem. Ideo propheta Esaias ibidem C. 16.
postulat mitti Christum de Petra deserti in Jerusalem, dicens:

© Stadtbibliothek Ulm, 2010. Signatur: 16 739-3;